

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel


Carolsruhae, 1765

CXLV.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

Vriburch emptionem & venditionem supra scriptam ratam habentes
- - - - approbamus.

Ego G. Senior *de Baden* sigillum proprium non habens sigillo B. filij mei contentus sum. Nos Vol. & G. sigillo patris nostri B. presentibus usi fumus. Acta sunt hec in Mülnhain Anno MCCLXVI. Kal. Jun. Presentibus Rudolfo de Valchenstain Schulteto in Nuwenburch milite, Rudolfo de Wilere &c.



CXLV!

HENRICI COMITIS DE VURSTENBERCH LITERÆ
QUIBUS FRATRES QUOSDAM MINORES IN CASTRUM SUUM
VILLINGEN AD INSTITUENDUM IBI ORDINIS HUIUS
MONASTERIUM MITTI ROGAT.

CIRCA ANNUM MCCLXVII.

Ex Archivo Furstenberg.

Viro religioso discreto ac in Domino per omnia réverendo Fratri Alberto ministro Fratrum minorum Alemannie H. Comes de Vürstenberch, quicquid potest amicitie, obsequij & honoris. Vestre paterne discretioni presentibus omni qua possumus instantia supplicamus, quatenus Fratres vestri Ordinis ad ampliandum cultum divini Nominis, &

animarum Salutem in Domino promovendam , ad Castrum nostrum Villingen pro recipienda & edificando ibi domo, ad usum vestri Ordinis, velitis transmittere propter Deum. Ut autem petitioni nostræ in hac parte favorabilibus annuatis, tenore vos presentium securamus, quod omnia jura & Libertates, sive statuta & consuetudines vestri Ordinis favore benivolo prosequentes, in nulla unquam parte ledemus, vel minuemus, & quantum in nobis est bona fide omnia illibata custodiemus, & observabimus, & faciemus a nobis subditis observari. Omnes etiam areas in eadem villa habitas & habendas pro vestris edificijs construendis damus in perpetuum omnimode Libertati.



CXLVI.

HENRICI COMITIS DE VÜRSTENBERCH ET UXORIS
EJUS AGNETIS CHARTA LIBERTATIS NOVO FRATRUM
MINORUM IN VILLINGEN MONASTERIO
CONCESSÆ.

ANNO MCCLXVIII.

Ex Archivo Fürstenbergensi.

Universis prefens scriptum inspecturis H. Comes de Vürstenberch salutem cum notitia subscriptorum. Que aguntur in tempore ne labantur cum tempore, litterarum solent testimonio confirmari. Noverint igitur presentes & posterj, quod Nos & Agnes Uxor nostra Comi-